

De tartari stibiati in organismum humanum efficacia : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Julius Hiller.

Contributors

Hiller, Julius.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rs7yr84v>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4
DE
TARTARI STIBIATI
IN ORGANISMUM HUMANUM
EFFICACIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILIELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE IX. M. JANUARIi A. MDCCCXXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS HILLER

RHINSBERGO - MARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

C. DRESCHER, MED. ET CHIR. DD.

R. SCHWEITZER, MED. ET CHIR. CAND.

A. SCHOTTE, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Duo sunt praecipui medicinae cardines: ratio et observatio; observatio tamen est filum, ad quod dirigi debent medicorum ratiocinia.

Bagliv. prax. med. Libr. 1. c. 2. §. 3.

OPFONENTHUS

O. DRACHNER, MED. ET CHIR. DD.

R. SCHWETTER, MED. ET CHIR. DD.

A. SCHOTTE, MED. ET CHIR. DD.

RENOVI

V I R O

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

JOS. BUETTNER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO-CHIRUR-
GORUM EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUPREMO,
REGI A CONSILIIS INTIMIS, INSTITUTI FRIDERICO-
GUILIELMI ET ACADEMIAE MEDICO - CHIRURGICAE DI-
RECTORI, ORDINIS REGII AB AQUILA RUBRA IN CLASSE
SECUNDA, DE CRUCE FERREA IN CLASSE SECUNDA,
ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. ANNAE, NEC NON
ST. VLADIMIRI, ORDINIS REGII SUECICI VASANI, ORDI-
NISQUE BELGICI LEONINI EQUITI AURATO

ETC. ETC. ETC.

V I R O

ILLUSTRATION, AMPLIFIED

EXPERIMENTAL

JOS. BUTTNER.

NEC NON

MEDICINE AT THE MEDICAL CENTER
BONNE KATHOLISCHES HOSPITAL PHARMACY
HIST. A. GOSWOLD LONDON, LONDON
CLINICAL AT ACADEMIC HOSPITAL - CLINICAL
REGION, ORDINARY MEDICAL AS ACADEMIC HOSPITAL IN CLINICAL
REGION, DE GRUCH HOSPITAL IN CLINICAL HOSPITAL
ORDINARY GASTROENTEROLOGY HOSPITAL, NEW YORK
ST. ALBANS, ORDINARY MEDICAL HOSPITAL, ORDINARY
HISTORICAL MEDICAL HOSPITAL, HISTORICAL
HIST. HOSP. HOSP. HOSP.

FAUTORI AC PATRONO

SUMME VENERANDO

C. LANGE,

**RERUM VECTIGALIVM INSPECTORI SUPERIORI, PATRUO
DE SE SUISQUE MERITISSIMO, HUMANISSIMO,
DILECTISSIMO,**

H A S

S T U D I O R U M P R I M I T I A S

P I O G R A T O Q U E A N I M O

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Inter usitatissima nostris temporibus, atque a celeberrimis in rebus medicis viris novissime identidem gloriata, varioque modo experta medicamina summo jure Tartarum stibiatum censeo esse referendum. De cujus in corpus humanum efficacia, — quonia et legerim observationes quasdam recentiores, et ipse, larga in nosocomio caritatis Berolinensi occasione oblata, varios casus viderim, ex quibus de praestanti ejus in medicina virtute facillime judicari posset, — quaedam conscribendo, gratiosi medicorum ordinis pro summis doctoris honoribus impetrandis decreto jussuique satisfacere operae pretium habui.

Chemicam remedii rationem omittam liceat, ne dissertatiunculae limites supergrediar; praesertim quum in recensenda ejus efficacia

non a chemica substantiarum conjunctione originem ducerem, neque adeo theoriis conjecturisque indulgerem, imo ea, quae experientia docuit, respectu quidem generalium organismi legum, conferrem, inter se invicem compararem, ac notitias inde conductas reddere in animo haberem.

Incipiam igitur a Tartari stibiati in organismum humanum ingesti effectum in genere, recenseam deinde modificationes, quas efficacia patitur, secundum doses minores vel majores, secundum usum ejus magis minusve continuatum, secundum methodum remedii applicandi, atque diversam ejus formam. Tum denique quomodo differat a Mercurio, haud dissimili, nec minus a reliquis emeticis, quantum fieri potest, explicabo.

In quibus exarandis, si minus peritus versari videar, Lectores benevoli, si qui sunt, tironi mihi, practicis rebus modo imbuto, ignoscatis, et benigne hasce qualescunque pagellas excipiat rogo atque oro

Auctor.

C A P. I.

Quaedam de historia.

Antiquissimis jam temporibus Stibium in usu medico fuisse constat. Pocula s. d. emetica e Stibio metallico per aliquod tempus vino impleta servare solebant, ex quibus haurientes vomitum cierent, at tamen inscii, quare id fiat, soluto scilicet Tartaro stibiato e tartaro vini cum stibio modo exorto. Eum vero pro diversa et poculi, et vini, et temporis denique ratione modo parum, modo nimis tuto ac probe egisse apparet. Saeculo decimo quinto, ubi alchemismo indulgerunt, multa e stibio praeparata fortuito exorta atque divulgata*) sunt, quae deinde sae-

*) Triumphwagen Antimii, fratris Basilii Valentini an den Tag gegeben durch Joh. Thoelden, Hesium, Nürnberg 1676. —

Theodori Kerkringii commentarius in currum triumph. Antim. Basilii Valentini. Amst. 1671. 12. —

Basil. Valent. chymische Schriften. Hamburg 1740. S. 310.

culo decimo sexto a Paracelso ejusque asseclis magis magisque in usum medicum vocata sunt, neque sine ullo successu. Huc etiam aqua benedicta Rulandi, e stibii oxydulati in vino acidulo digestionem parata, referenda est.

Verum, uti fieri solet, abusive quoque et immensis interdum dosibus eum adhibuerunt, ita quidem, ut internus Antimonii praeparatorum usus medicus anno 1566 Parisiis plane interdiceretur, et sequenti demum saeculo per novum edictum liceret.

Hisce jam temporibus plura adhuc praeparata inventa, varioque modo interne adhibita sunt. Huc praecipue Tartarus emeticus pertinet, quem primus Hadrianus Mynsicht*) anno 1631 invenit atque e croco metallorum cum tartaro depurato parari docuit. Praeterea Huxhami vinum antimoniale, ex oxyduli cujusdam stibii in vino malacensi digestionem paratum, — et alia.

Abhinc deinde vario modo mutaverunt Tartari stibiati parationem, ac naturam ejus chemicam accuratius definierunt Glauber 1648, Ludowici 1761, Zwoelfer 1688, Nicol. Lemery 1675, Fr. Stabel 1728, Valentin Kraeutermann 1728, Joh. Geoffroy 1734, Macquer 1766, Lassonne 1768, et nostro saeculo Fischer, Buchholz, Hermb-

*) Thesaurus et armamentarium medico-chymicum selectissimum. Hamb. 1631. 8. p. 13. —

Medic. chem. Schatz- und Rüstkammer. Stuttgart 1725. 8. —

staedt, Trommsdorff, Thenard, alii *). Praeterea etiam de indole ejus medica ex usu frequentiori aut interno, aut externo, vel hac, vel illa forma ac methodo, variae morborum naturae respectu, magis magisque compertum ac litteris traditum est. Quantopere vero novissimis temporibus Tartari stibiati usus sit extensus, pro magno quidem aegrotantium fructu ac salute, quis est, qui ignoret. Recensem modo Hufeland, Autenrieth, Peysson, Duffin, Desault, Richter, Wichmann, Hirschel, Krimer, Peschier **), Delagarde, Brosius ***), Recamier, Laennec, Husson etc. etc. Haec de historia sufficiant.

C A P. II.

De tartari stibiati efficacia in genere.

Inter omnia Antimonii praeparata praestantissimum est atque efficacissimum, ideoque cautissime adhibendum Tartarus stibiatus s. emeticus s. antimonialis s. secundum chemicam ejus rationem: Kali tartaricum stibiatum oxydatum, Tartras kalico-stibicus.

A. Effectus primarius.

Proximus s. primarius ejus, in organismum in-

*) Fr. Phil. Dulk's Erläuterungen z. Pharm. boruss. B. II. p. 745.

**) Biblioth. univers. 1822. Juny.

Gerson u. Julius Magaz. B. 4. p. 352 — 55.

***) Hufeland's Journ. 1827. B. 65. St. 1. p. 70.

gesti effectus est excitans, specifico modo alterans in nervorum abdominis plexum s. d. solarem, plexum coeliacum, unde propagatur deinde in universum organismi systema nervosum per multiplicem nervorum abdominis cum reliquis conexum. Haec docent symptomata, usum Tartari stibiati internum proxime sequentia. Singularis enim tensionis, plenitudinis, atque aucti quasi caloris animalis sensus in regione epigastrica et mesogastrica oritur, sensui in morbis hypochondriacis aliisque cum nervorum abdominalium alienatione quadam conjunctis haud dissimilis. Sequuntur deinde alia symptomata specificam nervorum alienationem indicantia: ingratus totius corporis sensus tensionis, cum dedolatione quasi singulariter commixtae, appetentia ciborum minuta, ciborum taedium, nausea, vomituriatio, ipse vomitus — pro re nata.

Organa igitur, quae proxime Tartari stibiati usu interno afficiuntur, pro varia plexus coeliaci aliorumque abdominalium divisione, haec sunt: ventriculus, hepar, lien, pancreas, intestinum tenue, vasa chyli-fera sive omnino resorbentia, cum glandulis lymphaticis.

Ventriculi ac reliqui intestinorum tractus actionem vitalem excitans, succi gastrici mucique intestinorum, bilis, succi pancreatici secretionem tardam augens, suppressam promovens, depravatam quadam ratione alterans, vasorum lymphaticorum seu stricte chyli-ferorum, glandularumque lymphaticarum functionem incitans, tardam quasi animans — sustentat at-

quo adjuvat chymificationem, chylicationem, substantiarum faeces constituentium a chylo separationem, resorptionem chyli ejusque per vasa lactea et glandulas mesentericas transitum, fere universam igitur digestionem usque ad sanguificationem, ejusque depravationes exaequat, corrigit. Crudas primarum viarum sordes, praesertim mucum tenacem, infarctus resolvit, immobiles reddit mobiles, ita quidem, ut vel sursum, vel deorsum turgescant, atque impedit, ne iterum oriantur, vitiosam primarum viarum indolem corrigens. Quin expellit sordes, si in sufficiente dosi adhibetur, vel per os, vel per anum, ea ratione, ut specifica ventriculi excitatione motus antiperistalticus, aut intestinorum motus peristalticus auctus cum largiori muci intestinalis secretionem oriatur, quare vomitus — diarrhoea.

B. Effectus secundarius.

Tot tantasque functionum digestionis mutationes, tantam tamque specificam nervorum abdominalium excitationem etiam spectabilem in reliqua totius organismi systemata effectum secum ferre, quid miraris. Varii igitur ac multi sunt effectus ex usu Tartari emetici interno secundarii, ut in omnia fere organa agere videatur.

1) Excitans ejus in vasa lactea glandulasque lymphaticas, centrale quasi totius resorptionis systematis organon, effectus ulterius quoque extenditur ad reliquum vasorum resorbentium systema; humorum in iis circuitum magis, quam fas est, accelerat, haesitantem

lympham deobstruit, humorum omnino decursum adaequat, materias morbose in cava corporis excretas inimicas resorbet ac perturbationes inde petentes tollit. Etiam in glandulis totius corporis humorum decursum, transitum ac vicissitudinem promovet, ideoque obstructions earum, vel indurationes tollere potest. Omnino materialium in corpore vicissitudinem, processum liquefactionis, sit venia verbo, secretiones fere omnes, praecipue serosas, aquosas aut mucosas adauget, properat. Quo etiam ex parte pertinet facultas, menstruorum fluxum oppressum provocandi, quam ipse pluries observavi.

2) Praeterea incitatione plexuum abdominalium, a remotis nervorum plexibus organoque centrali antagonisticè derivat, nimias eorum, praecipue cerebri actiones minuit, spasmos sedat, ac denique universi organismi dedolationis et relaxationis quasi sensum efficere potest.

3) Unde etiam, quum praeterea periphericas tantum vasorum ramificationes atque fines, nec unquam cor nec majores vasorum sanguiferorum ramos irriteret, nec eorum actionem atque energiam augeat, tantum localis potius sit nervorum abdominalium excitatio, et derivatoria ratione nimiam cordis actionem frangat, quum deinde, omnibus fere secretionibus auctis, cujusmodi materiae excernantur, eoque morbosa corporis irritamenta removeantur, humorum nimis a centro magis ad peripheriam vertatur, inflammatoriae humorum stagnationes tollantur, exaequantur, liquefactionis denique, ut jam supra memoravi,

processus augeatur, acceleretur — deprimens, debilitans, antiphlogisticus Tartari stibiati effectus dependet. Universi igitur systematis irritabilis actionem deprimit, nimiam cordis, arteriarum, muscutorum energiam minuit.

4) Expectorationem quoque movet Tartari stibiati usus. Quod quidem vario modo fieri potest. Proxime omnium huc pertinet sympathica pulmonum incitatio inde a plexuum abdominalium excitatione proficiscens, pro sat notabili inter eos connexu nervosa; deinde generalis mucosas secretiones augendi, tenacem mucum resolvendi facultas multum in hac re confert; praeterea nimiam bronchiorum ac pulmonum inflammatoriam quasi irritationem partim antagonistica ratione derivans, partim antiphlogistico modo sedans, mucosam eorum secretionem, nimia vasorum irritatione vel inflammatione suppressam aut alienatam, reficit, movet, corrigit, crisin per sputa adjuvat. Vomitus denique exortum organorum pectoris percussione impeditam sputorum excretionem levare, suppressam excitare posse, apud omnes constat.

5) Praecipuum quoque inter secundarios Tartari emetici effectus locum tenet diuresis eos augendae facultas, quam, quum inter coeliacum, mesentericum ac renalem plexum nervosum maximus sit connexus, facile a primaria ventriculi irritatione, per consensum ad renes propagata, derivare possumus. Verum non omittamus, normalem vasorum lymphaticorum actionem, moderatum atque exaequatum omnium hu-

morum circuitum multum conferre ad urinae secretionem promovendam; praeterea quum et aliae, multae secretiones augeantur, omnino materiaram vicissitudo in universo organismo acceleretur.

6) Neque minus inde insignis Tartari stibiati diaphoreticus effectus ex parte dependet, uti quae ratione quisque corporis secretio. Attamen singularis quoque gangliorum abdominalium excitatio usque ad periphericos nervorum ramulos cutaneos progreditur, eorum actionem in vasa cutanea auget, majorem in vasis cutis secernentibus humorum circuitum, uberiores sanguinis ad peripheriam affluxum, ac largiorem subtiliorum substantiarum perspirabilium excretionem excitat. Morbosam systematis cutanei indolem, specifica sua incitatione corrigit, submissam ejus energiam tollit, retentiones movet. Verum nimiam quoque cutis, usque ad spasmum auctam incitationem, ortam partim e febrili aut inflammatoria organismi indole antiphlogistico modo deprimens, partim a sola nervorum actione modum excedente profectam antagonistica ratione sedans, gravia normalis cutis functionis impedimenta removet.

C A P. III.

De Tartari stibiati efficacia in specie modificata.

Talis igitur in genere Tartari emetici in organismum effectus. Attamen vario modo eum aut moderari, aut mutari, aut denique augeri videmus, se-

endum doses quibus adhibetur, secundum usum ejus magis minusve continuatum, secundum methodum, quo loco, vel qua forma adhibetur. Quas quidem modificationes jam recensurus, incipiam a dosibus, respectu temporis, quo Tartari stibiati usus continuatur.

A. Modificationes efficaciae secundum doses atque usus continuationem.

1. Parcissimis dosibus per aliquod tempus adhibitis (e. gr. Tartari stibiati grano β — j in $\mathfrak{z}$ vj — viij soluto, cochleatim sumendo) modo primarii effectus, ii que in mitiori gradu apparent. Qui sunt: omnes in organismo secretiones parciter augentur, primum quidem internae ventriculi superficiei, praeterea reliquae primarum viarum partis, aliorumque organorum secernentium systemati chylopoëtico adnexorum, hepatis, pancreatis. Succi igitur gastrici, bilis, succi pancreatici secretionem quadam ratione leniter auget, depravationes corrigit, sordes amovet, resolvit, digestionis functionem adjuvat, ejus vitia tollit. Etiam vasorum lymphaticorum et glandularum mesentericarum functionem modice sublevat, normalem chyli resorptionem sustentat. Inter secundarios effectus inde subsequentes modo diaphoresis et minori gradu etiam expectoratio pauxillum incipit incrementi; alios vix invenies.

Attamen hacce dosi supra modum continuata, quodammodo etiam ciborum appetentia

minui, dysorexia, dyspepsia, nausea, ingratus totius corporis sensus provocari potest.

2. Si minus exiguis dosibus (e. gr. gr. ij—iij in ℥viij solut., cochleatim sumend.) Tartarus stibiatus datur, primarius hicce effectus modo dictus paulo magis elucet. Praeterea primarum viarum praecipue intestini tenuis mucosam secretionem, motum ejus peristalticum adauget, ut paulo frequentiores ac liquidiores oriantur sedes. Vomitus rarissime ciet, nisi ventriculi sensibilitas adaucta sit, vel sordes gastricae sursum turgescences ad eum praedisponant. Eo facilius autem, si per longum tempus continueatur, nauseosa symptomata intrant.

Uti primarius effectus, etiam secundarii paulo notabiliore fiunt. Modice adjuvatur expectoratio, augetur resorptionis processus, praesertim diaphoresis et diuresis. Antiphlogisticus et derivatorius effectus apparet quidem, verumtamen non tantopere.]

3. Mediocres doses (uti solut. gr. iv—vj in ℥vj cochleatim sumend.) per aliquos dies continuatae jam notabiliorem nervorum abdominalium plexuum excitationem producant. Ita quidem, ut Tartarus stibiatus digestionem non modo non sustentet, sed infestet potius, quum primaria illa irritatio haud modica quodammodo persistat, nova quaque dosi iteretur. Itaque continuum fere atque ingratissimum fastidii nausaeque sensum prodit, quem deinde sequuntur totius corporis lassitudo, dedolatio, musculorum tonus diminutus, resolutus quasi, aliaque symptomata antagonistica ratione ex abdominalium plexu-

nam incitatione prodeuntia, uti cerebri functio depressa, derivata, spasmi sedati etc. Facillime igitur deinde digestionem, assimilationem turbant, continuato suo usu, digestionis organa secretoria continuo irritando, gastrosis quasi artificialis gignitur, quam postremo sui generis dyscrasia, resolutio, hectica insequi possunt. Jam multo facilius, quam antea dictum est, vomituritiones, et vomitus ipse cieri possunt, etiamsi sequentibus dosibus plerumque desinit, aut certius non intrat. Verumtamen eo magis mucosa intestinorum secretio augetur, motus ejus peristalticus acceleratur, diarrhoea excitatur.

Maxime vero secundarius Tartari stibiati effectus hisce dosibus excellit. Summo enim gradu resorptionis ac liquefactionis (sit venia verbo) processum adauget, expectorationem expeditiorem reddit, cutis ac renum functionem adjuvat, alterat, diaphoresin et diuresin promovet. Tantum vero abest, ut systematis vasorum sanguiferorum irritatio inde oriatur, ut deprimat nimiam ejus actionem, debilitet quodammodo totius systematis irritabilis energiam.

4. Majores doses (gr. ij – iv) tuto vomitum efficiunt, quem deinde nonnullae sedes aquosae subsequuntur. Remotae vomitus sequelae *) illis e Tar-

*) v. Wedekind, Beitr. z. Erforschung d. Wirkungsart der Arzneim. Hft. 1, 1830. S. 40.

Hohnbaum u. Jahn's medic. Conversationsbl. 1831 Nr. 20. S. 153.

Sundelin's Handb. d. spec. Heilmittellehre. Bd. II p. 291 – 294.

tari stibiati usu in genere ortis non dissimiles sunt, citius modo ac majori gradu intrantes; diaphoreseos, expectorationis, resorptionis, humorum praecipue in abdomine circuitus, cujusvis secretionis augmentum, postremo placida universi organismi quies.

5. **P**ermagnae doses tantam primarum viarum irritationem efficiunt, ut, nisi celerrime evomatur, intoxicationis symptomata inde oriantur, uti a quovis veneno acri in ventriculum ingesto. Quae quidem sunt proxime inflammatoriae primarum viarum affectionis signa. Latius deinde extenditur infestus ille effectus ad pectoris organa, maxime vero postremo universum systema nervosum infestatur.

Primum igitur omnium oriuntur nausea, vomituritio, vomitus ingens, vehemens, frequens, diarrhoea copiosa, cum omnibus gastritidis atque enteritidis symptomatibus, praecipue intolerabili fere dolore urente, incidente in abdomine. Quo quidem vomitu si omnis Tartari stibiati quantitas ejicitur, priusquam resorbeatur ac penitus dimanet ejus effectus, praeter inflammatoriam illam affectionem ejusque sequelas nihil amplius advenit. Quod vero rarissime contingit. Facillime enim Tartarus stibiatus aut resor-

Vogt's Pharmacodyn. Giessen 1828. Th. II. §. 2182 — 2195.

Hufeland's Journ. d. pr. Heilk. Bd. LXXII. St. 1. pag. 13.

Voigtel's vollständ. System. d. Arzneimittell. Bd. II. §. 54 — 59.

betur, aut spasticam interdum pharyngis atque oesophagi contractionem excitat, qua quidem impeditur, ne vomitus oriatur. Tum vomitatio difficilis, vehemens, irrita, singultus, anxietas, oppressio pectoris, symptomata suffocativa, dedolatio maxima, virium exinanitio, vertigo, deliquium animi, convulsiones, mors *). In mortuis praeter omnia gastritidis et enteritidis signa invenies pulmonum superficiem colore violaceo aut e rubro flavescente tinctam substantiam compactam, sanguine impletam, sine ullacrepitatione **).

Huc addam, novissimis temporibus Duffin, Edinburgensem, secundo post Tartari stibiati intoxicationem die scorbuticam oris affectionem animadvertisse; quod cum insigni ejus facultate resolvendi et liquandi probe quadrat.

EB. Modificationes efficaciae secundum locum applicationis, respectu formae remedii.

Essentialem quoque modificationem patitur Tartari stibiati efficacia secundum varium applicationis locum, respectu simul formae remedii. Inter locos applicationis vulgo differtur applicatio interna, si per os, ab externa, si qua alia via remedium ingeris.

*) Orfila's Toxicologie Bd. I. Spiessglanz.

**) Driver in Meklenburg, Beitr. z. Med. u. Chir. Bd. 1. St. 2, S. 93.

1. Ad interni usus effectum omnia hucusque relata pertinent. Nihil praeterea addendum.

Restant igitur pro externa applicatione epidermis, oculi, epithelium (vaginae, urethrae, recti), corium epidermide denudatum, vulnera, ulcera, venae. Quae quidem num magis ad internam, an ad externam pertineant applicationem, uti e. gr. infusio in venas, clysmata etc. omittam. Recenseam modo singulas, quomodo agant.

2. a) Epidermidi unguento e Tartaro stibiato illito, primaria illa localis irritatio specifico modo excellit. Primum erythema oritur in loco affecto, deinde papulae, quae postremo magis magisque elatae, lymphæ vel pure implentur, ita ut vario-
larum vaccinarum speciem prae se ferant, valde prurientes, urentes, halone inflammato circumdatae, deinde exsiccantes ad crustas deciduas.

Jam vero, si continuo adhuc illinas, ulcera nascuntur putrida, callosa, marginibus elatis, valde dolentia. Interdum etiam in scroto, a loco applicationis prorsus remoto, ejusmodi pustulae oriuntur, quae, illitionibus omissis, evanescunt. (J. Hund *), unguento bis per diem ad pectus sine ullo primario effectu illito, scrotum pustulis illis obsitum invenit. Eodem modo Jahn **) observavit casum, ubi post praecordiorum inunctionem modo in mamma sinistra,

*) The Lond. med. and surg. Journ. Apr. 1830. p. 325.

**) Hohnbaum u. Jahn's med. Convers. Bl. Nr. 33. 1830. S. 264.

deinde in dextra quoque pustulae exortae sunt, nullae in praecordiis.

Locali illa irritatione intensivam a reliquis corporis partibus, praecipue internis, specifico modo derivari constat. Verum ultra quoque procedit effectus, quum resorbeatur Tartarus stibiatus, ad universum systema lymphaticum. Qua quidem ratione Peysson*) contra febres intermittentes unguento Tartari stibiati (e gr. xxij in Aquae dest. s. q. solut., c. Axung. porc. rec. $\mathfrak{z}$ j malaxat., et in part. aeq. xxiv. partit.) quater vel quinquies per diem in apyrexia vice versa abdomen, femora, dorsum, brachia infricavit, cum maximo, uti dicit, fructu.

Rarissime tantum vomitum et diarrhoeam ciet**), quod secundum recentiora experimenta inde pendet, num antea solutum aut alcoholisatum Tartarum stibiatum contineat unguentum, quo facilius resorbeatur, necne, uti Mialhe***), et Gendrin †) experti sunt. Qua de causa Mialhe hancce unguenti parandi methodum proponit. E concentrata Tartari stibiati solutione, addito spiritu vini rectificatissimo,

*) Gerson u. Julius Magaz. Bd. 4. S. 356.

**) eod. loco B. 18. S. 304, — Journ. de Chim. med. 1828. October.

***) Journ. de Pharm. 1830. Juin. p. 355.

†) Journ. général de med. Dec. 1830. p. 388.

Froriep's Notiz. B. 26. Nr. 21. S. 336.

Behrend u. Moldenhawer: N. Journ. B. 2. S. 51.

Pharmac. Centralbl. Nr. 33. 1830. S. 526.

iterum praecipitetur, filtretur, exsiccetur Tartarus stibiatus subtilissime inde pulveratus; tum diligentissime terendo cum axungia intime misceatur. Hocce unguento in praecordialem regionem illito celerius pustulas provocari, magis intensive derivari, tutius vomitum oriri praedicat.

b) Lotiones aut fomentationes e Tartari emetici solutione, superficialem irritationem, erythema gignunt, resorptionis ac liquationis processum leviter augent, sed pustulas, nisi concentrata sit solutio, nunquam produnt. Paulo facilius autem vomitum et diarrhoeam excitant, uti Lettsom, Matthaei, et alii observarunt. Nec minus Hutchinson, quum volam manus, spongia in Tartari stibiati solutionem imbuta pluries illitam igne siccarent, gravem somnum intrare viderunt.

c) Emplastrum Tartari stibiati epidermidi impositum intensive irritat, pustulas gignit, quae, nisi celerrime removeatur emplastrum, mox in ulcera callosa, putrida, pertinacia transeunt. Optime igitur derivat, resorptionem promovet. Ipsum vero resorberi non observarunt, quare omnis primarum viarum affectio deest.

3. Ad oculos quoque Tartari stibiati levem solutionem aut unguentum, uti Witzmann adhibuerunt, partim instillando, partim fomentando, partim denique illinendo. Levi ejus irritatione fovetur resorptio, resolvuntur indurationes, obscurationes, pseudorganisationes, resorbentur exsudationes, excitantur relaxationes.

4. Haud dissimiles mutationes efficit Tartarus emeticus in epithelio interno. Injectiones ejus in vaginam, urethram, rectum (uti fieri solet) tunicarum internarum torporem excitare, secretionem oppressam provocare, nimiam a relaxatione portam minuere, depravatam corrigere possunt.

Multo latius vero extenditur clysmatum effectus. Praeter illam mucosi secretionis, resorptionis, motus peristaltici adauctionem, antagonistica quoque ratione nimiam cerebri actionem aut sanguinis ad illud affluxum minuunt, derivant. Nec raro, etiamsi non tuto, vomitum cient.

5. Etiam ad corium epidermide denudatum Tartarum emeticum inspersit Lember t *). Effectum ejus localem dicit admodum irritantem, fere intolerabilem. Sequebantur deinde sudores copiosi, diuresis aucta, raro alvi depositiones, verum neque nauseam, neque vomitum unquam oriri vidit. Eadem observavit Lesieur **).

6. Krimer ipse in musculi bicipitis brachii vulnus Tartarum stibiatum sibi inspersit. Vomitu pluries exorto, sine ulla noxia per primam intentionem vulnus reunit. Verumtamen timendum est, ne minus tuto resorbeatur, neve ulcus putridum, neve

*) Lember t Essai sur la méthode endermique. Paris 1826. p. 217 — 218.

**) Archiv gener. de Medec. 1826. Juin.

v. Froriep's Notiz. B. XV. Nr. 2. pag. 23 — 26. Aug. 1826.

denique ingens vasorum glandularumque lymphaticarum affectio inde oriatur.

7. Vario modo etiam ad ulcera applicatus est Tartarus stibiatus. Solutio ejus (e gr. β -ij-vj in $\mathfrak{z}$ j) vel unguentum (e $\mathfrak{z}\beta$ -j cum Axung. $\mathfrak{z}$ j) aut pulvis, vel denique secundum Rust pasta e Tartaro stibiato cum aqua, minori quidem gradu resorptionem augent, callositates resolvunt, secretionem corrigunt, majori autem maxime resolvunt, erodunt ad modum causticorum.

8. In quibusdam casibus, ubi per pharyngem meatus obstructus est, vomitum excitare conati sunt solutionem Tartari stibiati (gr. ij - jv - vj) in venam medianam infundendo. Primus hancce methodum cum fructu exercuit Koehler, quem deinde Knopf, Hemman, de Graefe etc. etc. haud quidem minori successu secuti sunt. Celerrime nauseam et vomitum oriri viderunt. Felici illo eventu perducti Hufeland etiam, ut tantummodo systematis nervorum et maxime cerebri nimiam actionem debilitet, in maniacis, Meplain in spasticis morbis ex refrigerio ac vermitione *) ortis sat prospero eventu ea methodo usi sunt. Veruntamen caute adhibenda est, quum majori dosi, quam fas est, facillime gastritis illaque pulmonum affectio oriri potest, ac si in ventriculum ingestus sit Tartarus emeticus.

*) Journ. des progrès des scienc. et des instit. médic. T. III. 1830.

Behrend u, Moldenhawer. N. Journ. B. 5. S. 156.

C A P. IV.

Quibus excellat Tartarus stibiatus, quod ad virtutes medicas, prae similibus reliquis.

Jam denique, quum ex omnibus hisce aliqua Tartari stibiati similitudo cum Hydrargyri prae-
paratis, maxime cum Calomel et Sublimato hydrar-
gyri, appareat, addam liceat, quomodo ab illis diffe-
rat. Et Tartarus emeticus, et Hydrargyrum resolvit,
secretiones, resorptionem, liquationis processum pro-
moveret. Differunt vero hisce *). Hydrargyrum
secundario modo quandam systematis vasorum irrita-
tionem, generalem organismi reactionem efficere ne-
gari nequit. Contra Tartarus stibiatus sedat, nimiam
sanguinis actionem deprimit, eoque magis in primo
inflammationum febriumque sthenicarum stadio ad-
hiberi potest. Deinde specificam illam nervorum ab-
dominalium excitationem in Mercurio vix reperies. —
Princeps porro Tartari stibiati effectus in tunicas
mucosas, fibrosas aliasque, maxime vero in cutem ex-
ternam, Mercurii in vasa resorbentia, organaque glan-
dulosa vergit. — Postremo celerrime universalem
humorum decompositionem quasi, dyscrasiam, cache-
xiam efficit Mercurii abusus; verum Tartari emetici
proxime magis localem organorum digestionis affe-
ctionem gignit, serius demum, ac mitiori gradu quam

*) Vogt's Pharmacodyn. Giessen. 1828. B. 2. §. 2779
— 2783.

Hydrargyrum, organismi mixtionem mutat. Itaque Tartarus stibiatus, ubi sensim sensimque et leniter organismum commutari oportet, Mercurio est praefendus.

Inter reliqua denique emetica remedia eo excellit Tartarus stibiatus, quod primum, excepto Zinco sulphurico, sat leviter ac tuto vomitum ciet; deinde simul multo majorem ad serosas mucosasque ventriculi, intestinorum, bronchiorum, pulmonum, nec minus bilis et succi pancreatici, aliasque et internas, et externas secretiones promovendas vim exercet. Postremo vero, si legitima ad vomendum dosis ventriculi torporem dovincere nequit, eam augeri interdum aegre fertur; cavendum certe est, ne nimia dosi intoxicationis symptomata oriantur, quum absolute constitui nequeat.

Haec igitur de Tartari stibiati virtutibus. Est enim remedium nauseosum, resolvens, resorbens, alterans, emeticum, purgans, diureticum, diaphoreticum, expectorans, emmenagogon, antiphlogisticum, sedans, derivans, epispasticum, causticum.

V I T A.

Julius ego Hiller, evangelicae religioni addictus, Rhinsbergae natus d. vij mens. Jul. A. MDCCCVIII, patre Johanno Friederico, rationum vectigalium contrascriptore, et matre Guilelma e gente Behrends, utroque, Deo gratias, etiamnunc superstite, primis litterarum elementis imbutus, gymnasium regium Joachimicum Berolinense, Directore Snethlage, postremo vero Meineke, alumnorum numero adscriptus, per septem annos frequentavi. Abiturientium deinde examine rite absoluto, testimonium maturitatis academicae adeptus, A. 1828 inter cives instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmi receptus sum. Studiorum ratio mihi haec fuit.

Ill. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia, Ill. Link de historia naturali, bo-

tanice, toxicologia et de plantis cryptogamicis, Ill. Lichtenstein de Zoologia, Ill. Hermbstaedt de chemia pharmaceutica, Ill. Turte de physice, chemia et pharmacia, Ill. Schulz de botanice, materia medica et physiologia, Ill. Eck de physiologia, Beat. Knape de osteologia, splanchnologia, Ill. Schlemm de syndesmologia, Beat. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum, et foetus humani, de entozois et de physiologia, Ill. Osann de materia medica et de fontibus medicatis, Ill. Hufeland jun. de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali, quam speciali, Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis syphiliticis et de morbis mentis, Ill. Casper de arte formulas medicas concinnandi, et medicina forensi, Ill. Kluge de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis, de arte obstetricia, eaque fascias rite applicandi, nec non de akiurgia, Ill. Rust de chirurgia universa-disserentes audivi. In arte cadavera rite dissecandi Beat. Knape et Beat. Rudolphi mihi duces erant. Praeterea Celsi de medicina libros Ill. Hecker mihi interpretatus est. Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, atque obstetriciis virorum

Ill. Ill. Wolff, Bartels, de Graefe et Kluge
interfui. Quos omnes praeceptores clarissimos
et doctissimos pio gratoque animo semper ve-
nerabor.

Studiorum cursu peracto, per annum et qua-
drantem medico-chirurgi inferioris munere in
nosodochio caritatis Berolinensi functus sum atque
fungor.

Jam vero, tentaminibus tam philosophico,
quam medico, nec non examine rigoroso coram
gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore,
ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi
in utraque medicina honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Gangraena nosocomialis prosperrimus interdum chirurgo eventus, atque aegroto saluberrimus.

II.

Laudo Hippocratis sententiam: si quid movendum, move.

III.

Aqua frigida inter laxantia remedia praestantissimum.

IV.

Non existit remedium prophylacticum.

V.

Capite absciso, homo adhuc vivit.
